

## §. XV.

Nec repugnat libertati, quod Mens perpetuo & constanter ex repraesentatione optimi agat, illudque perpetuo velit: persequitur enim hoc quoque modo illud, quod ei maxime collubescit, atque si aliter ageret, ne libera quidem esset; quia id non faceret, quod illi omnino liberet. Quodque ex repraesentatione optimi agat Mens, libertatem eius reddit sublimiorem perfectioremque. Indifferentiam quoque in determinatione voluntatis nonnulli requirunt, libertatemque alia atque *secunda* significatione cum praelectione eandem statuunt, quae est deliberatiua appetitio eorum, quae in nostra sunt potestate. Verum ne haec quidem per praerogatiuam intellectus, quam emendatio ab illo inchoanda eidem tribuit, tollitur, si sano sensu explicetur. Non enim per eandem intelligendus venit coecus impetus, quo mens ferri quocunque possit; hoc enim esset contra naturam Mentis, quae per repraesentationes tantum, non coeco impetu determinatur: sed haec indifferentia voluntatis in quadam repraesentationis indifferentia consistere videtur. Qua tum fit ut Mens re quadam ob oculos posita, in vtramque partem bona malaue repraesentata tanquam rationes determinantes adsumere, adeoque etiam in vtramque partem, ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc aut ad agendum illud, se inclinare possit.

## §. XVI.

Quibus omnibus rite perpensis quilibet facile perspiciet, libertatem voluntatis per hanc adsertionem de inchoanda ab intellectu emendatione minime labefactari sed potius confirmari. Et eam quoque esse veram hominis libertatem, quae hucusque declarata fuit, inde adparet, quod Moralitatis fundamenta sancta atque tecta conseruet. Ex illa potest deduci, cur hominibus & aestus adfectuum & actiones vel in laudem vel in vituperium imputari queant: prout Mens conatus suos moderata est in admitendis & adsumendis repraesentationibus illam determinantibus ad adfectuum vehementiam & actiones externas perficiendas. Adfectuum enim robur & actio non tam facile & necessario sequitur